

Natus sum d. 22. Aprilis anno MDCCLXIV. in Magno Ducatu Lithuaniae, in Vico Zaroy nominato, ad urbem Nowogrodek sito. Patrem, praematura mihi morte ereptum, veneror MICHAELEM WANNOWSKI, Verbi divini in Vico supra dicto praedicatorem; matrem vero CATHARINAM WANNOWSKI, e gente Anglorum nobili de Ross profatam. Hi optimi parentes statim in prima pueritia mea omni studio curabant, ut primis scientiarum elementis imbutus, feliciores progressus in scholasticis, quas vocant, disciplinis facere possem. Quo scopo etiam anno aetatis meae decimo missus eram in Gymnasium inclytum, quod Sluciaae floret. Hic ob paupertatem meam multa quidem dura perpessus, at eo maiori diligentia in literas incumbens, dignus tandem a praeceptoribus meis, optime de me meritis, et a Synodo Reformata iudicatus sum, ut in aliquam Academiam extraneam mitterer, Theologiae operam daturus. Veni itaque ante octo annos Regiomontum, et a Rectore t. t. Academiae Magnifico Viro Iureconsultissimo beat. IESTER in numerum civium academicorum receptus fui. Cum vero linguae germanicae prorsus ignarus fuerim, adeoque praelectiones Excellentissimorum Professorum non potuerim intelligere, pri-

mum